Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

# [Tabulae directionum et profectionum]

Regiomontanus

[S.l.], 1560

Problema I. Significatorem quemlibet, ad promissorem quemcunque, [...]

urn:nbn:de:bsz:31-132675

Visual Library

## PROBLEMA I.

### *Significatorem quemlibet, ad promissorem quemcunque, secundum seriem signorum dirigere.*

IN omnibus Directionibus observandi sunt duo termini, terminus à quo & terminus ad quem; Ille vocatur significator, hic verò promissor. Significatores in genere quinque sunt: videlicet Horoscopus, Medium Cœli, Sol, Luna, & pars fortunæ: In specie vero quilibet Planeta, ∽ & ∽. Profectiones, maxima, media, annua, vel alius Cœli punctus significatoris vicem obtinere potest: Promissores, qui aliquid, vel boni, vel mali portendunt, sunt cæteri Planetæ, & aspectus omnes, eorumque antiscia primaria, & secundaria, stellæ fixæ insigniores, termini, seu fines, Cometæ intervenientes, Conjunctiones, maximæ superiorum Planetarum, gradus conjunctionis, vel Oppositionis Luminarium Nativitatem antecedens, qui post loca quinq; Hylegialia, primarias obtinet partes, cuspides domorum, &c. Dirigere itaq; nihil aliud est, quam locum antecedentem, secundum seriem signorum, per Ascensionem Rectam vel per Ascensiones obliquas correctas, circulo Positionis invento, competentes, ad sequentem deducere. Competit autem Ascensio Recta, solummodo Medio Cœli, & stellis erraticis, vel fixis, præcisè in cuspide hærentibus; Et quando stella fixa, vel erratica, vel aspectus, sive antiscium, unico tantum gradu à medio Cœli distat congruens Ascensio obliqua sumenda est, & sic procedendum, à primo gradu Elevationis poli, prout necessitas flagitat, usque ad Elevationem Poli loci dati. Eodem modo sese res habet, cum Ascensione Obliquâ loci dati quæ solummodo competit Horoscopo, & stellis præcise, absque Latitudine, ibidem existentibus, quamprimum verò stella, vel aspectus, unico tantum gradu secesserit, pro ratione circuli positionis, qui poli Elevationem indicat, ejusq; vices gerit, obliquarum etiam Ascensio-

num

num tabula mutanda erit. Sic etiam ſtellæ, atque aſpectus, inter cuſpides conſtituti, aſcenſionem obliquam, ſui poſitionis circuli, perpetuo retinent. Arcus verò interceptus, inter ſignificatorem & promiſſorem, per, calculum verum inventus, eſt, arcus & portio Æquatoris, cujus gradus unicus, Annum, minuta vero, juxta proportionem Menſes, & dies deſignant. Requiruntur autem ad directiones. 1. Aſcenſiones Rectæ omnium ſtellarum, aſpectuum & graduum dirigendorum; 2. Declinationes eorundem. 3. Diſtantia à Medio vel primo Cœli. 4. Circuli poſitionum. Et 5. hinc inventæ aſcenſiones obliquæ; atque hæc omnia certis limitibus diſtincta, ac ſecundum ordinem, ex ſchemate Aſtrologico deſumi, ac diſponi poſſunt, initio facto, à Cœli medio per Aſcendens, ad 4. usq; domum procedendo; ſolummodo in medietate aſcendente, neglectâ medietate deſcendente, quamvis Planetæ omnes, vel plures in eâ conſtituti fuerint. Oppoſitarum namque partium eadem eſt ratio, latitudinibus tamen mutatis, videlicet, quod in omnibus oppoſitionibus, pro Meridionali, Septentrionalis, & vice verſa, latitudo ſumenda ſit. Sextilis & trigonus etiam variant, ſed quadratus, qui in Eclipticam incidit, nihil immutat.

1. Aſcenſiones Rectæ quomodo inquirendæ ſint, ſupra in præceptis traditum eſt; Quando verò ſtellæ fixæ, vel erraticæ, atque harum aſpectus, latitudinem aliquam, 8. gradus non excedentem habuerint, deſumendæ ſunt aſcenſiones rectæ, ex tabulâ Cœli mediationum; Si vero ſtellæ fixæ, hanc latitudinem exceſſerint, (quod in Planetis fieri non poteſt) beneficio tabulæ Cœli mediationum generali, hoc perficiendum erit, juxta 4. Problema Regiomontani.

2. Eadem eſt ratio in inquirendâ declinatione, habitâ ratione latitudinis, & partis proportionalis, ubi vero oppoſitio contrarium requirit, Sextilis in Triangulum, & vice versâ, mutatur. Et quando Latitudo 8. gradus exceſſerit, ad tabulam declina-

clinationum generalem, confugiendum est, & juxta Problema Regiomontani 2. procedendum.

3. Distantiam à Medio Cœli hoc modo venaberis. Descriptis secundum ordinem omnibus Ascensionibus rectis, subtrahe Ascensionem rectam Medii Cœli, assumpto integro circulo, si opus fuerit; Residuum monstrabit distantiam à Cœli medio, in medietate ascendente, supra terram, videlicet in 10 11. & 12. Domibus, usque ad gradum Horoscopi, exclusivè sumptum. Pro distantia verò, in medietate Ascendente, subterraneâ, à domo quartâ, adde Ascensioni rectæ Medii Cœli 180. gradus, & subtrahe si necessitas requirat, à summa integrum circulum; Ab hac ascensione Rectâ Imi Cœli, subtrahe omnes Ascensiones rectas, inter Horoscopum, & 4 domum contentas, & habebis distantiam ab Imo Cœli, desideratam.

4. Investigandus nunc Circulus positionis, qui in Nativitatum directionibus potissimum, & necessario requiritur. Intrabis itaque tabulam positionum, cum 2. inventis, nimirum cum distantiâ à medio Cœli, & cum inventâ declinatione, quæ erit vel Septentrionalis, in signis septentrionalibus ♈ ♉ ♊ ♋ ♌ ♍ vel Meridionalis in signis Meridionalibus ♎ ♏ ♐ ♑ ♒ ♓ sumendo declinationem à sinistris, & distantiam à Cœli medio super terram à 10. ad 1. domum, in areâ communi; Et si declinationis gradus nulla habuerit minuta, & distantiam à Cœli medio præcisè inveneris, erit dati puncti, vel gradus, Circulus positionis, Elevatio poli supra posita; Si vero declinatio habuerit adjuncta minuta & distantia â Cœli medio major fuerit, sumenda est pars proportionalis, pro minutis Elevationi poli addendis; Et sic procedere poteris à decimâ ad primam & inde, mutatâ tabulâ, ad 4. domum, & cuilibet stellæ, gradui, & aspectui, inventum positionis circulum, & huic post modum competentem Ascensionem obliquam ascribere.

5. Tandem dirigere incipias, primum ab Horoſcopo quartam domum verſus, ſubtrahendo Aſcenſionem loci dati, ab inſequentibus Aſcenſionibus obliquis inventis, quousque libuerit. Abſolutis directionibus Horoſcopi ſive Aſcendentis, dirigere poteris Cœli medium, Solem, Lunam, partem fortunæ, ad ſe invicem, ad fixas, ad Planetas, eorumque antiſcia, & aſpectus, ad terminos ſeu fines, ad domorum cuſpides, item omnes reliquos Planetas, ♄ ♃ ♂ ☿ ☿ cum ☌ & ☍ gradum etiam conjunctionis vel oppoſitionis Luminarium, Nativitatem præcedentis, Cometam coincidentem &c. atque hæc omnia niſi libellus nimium excreſceret, exemplo aliquo commonſtranda eſſent, quæ tamen Benevolo Lectori, alio tempore, ſi Deus vitam mihi prolongarit, expectanda ſunt.

Cum verò, teſte Origano, fol. 735. directionum ea ſit natura, ut vim ſuam, non ſemper eo, in quem incidunt, anno, exerant, ſed vel anticipent, vel in ſequentium aliquem differant, iſtum nimirum, quo convenientibus revolutionibus, tranſitibus, vel profectionibus juvantur, ac extimulantur, neceſſario illis jungendæ ſunt Revolutiones Annuæ, tranſitus ſuperiorum Planetarum ☌ item & ☍ cum Profectionibus; Aſt de Revolutionibus annuis, ſupputandis ſupra Problemate 20. actum. Sic tranſitus ex traditis Ephemeridibus, deſumi poſſunt, reſtat ut de profectionibus paucis agamus.

## PROBLEMA II.

### *De profectionibus annuis, quo pertingat profectio ſignificatoris cujuſpiam, in tempore aliquo dato nullo negotio experiri.*

PRofectiones Annuæ nihil aliud ſunt, quam locorum Genituræ quorumcunque ſub Zodiaco æquales progreſſiones, quibus quovis anno Solari ſignum, & 12. Annorum ſpatio, integram,